



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-492869-p0002-7

DFG

SELECTARVM
JURIS QVÆ-
STIONUM

67.

34

1636, 4.

*Ad faciliorem Paratitorum Wesenbecii in-
tellectum directarum*

DISPUTATIO II.

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi,

Dn. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,
J. U. D. eiusdemque in Florentissima inclytæ Reipubl. Ar-
gentoratensis Universitate Professoris Publici, Fautoris ac
Præceptoris sui æviterno observantiæ, amoris ac
honoris cultu prosequendi,

R E S P O N D E N T E

OTTONE KRAGHE NOB. DANO.

In auditorio Ictorum

Mense Decembri

Die horis antemeridianis


I N S T I T U T A.

A R G E N T O R A T I ,

Typisheredum Pauli Ledertz.

A N N O

M. D C. XXXVI.



VIRIS

GENEROSSISSIMIS & NOBILISSIMIS

Dn. JVSTINO HOËG, DOMINO
de Giörslöß/ &c.

REGNI DANTÆ SENATORI AMPLISSIMO

ut &

REGIÆ ac EQVESTRIS ACADEMIÆ
SORANÆ Präfidi

nec non

SERENISS^æ REG. MAJ. CHRISTIANI IV.
PRAEFECTO in Borlum,

Dn. NICOLAO KRAGHE, DOMINO
de Erusholmb/ &c.

JUDICI PROVINCIAE CIMBRIÆ
Eiusdem

SERENISSIMÆ REG. MAJEST.
PRAEFECTO in Asmild.

Dn. MAGNO HOËG, DOMINO
de Kiergordzholmb, &c.

Eiusdem

SERENISS^æ REG. MAJEST.
PRAEFECTO in Lund/

Patri & Avunculis suis, filiali & summâ semper obser-
vantia prosequendis, debiti obsequij testandi ergo
Extemporaneas, istas è materia Iurisdictionis, racemationes
O. & D.

Otto Kraghe, A. & R.

Disputatio II. ad lib. 2. tit. I.

Respondente

OTTONE KRAGHE NOB. DANO.

Questio 1.

AN vocabulum jurisdictionis ἐν ᾧ λάτει pro omnimoda Jurisdictione, in jure capiatur? Affirm. Wesenb. b. num. 2. & 5. Bocer. de iurisd. c. 2. n. 1. Hillig. 17. D. 27. lit. a. Matth. Steph. 1. de iurisd. c. 3. n. 4. Negat Obrecht de iurisd. c. 2. n. 12. & seq. Henr. à Suerin. rep. lect. iur. c. 6. C. I. A. b. th. 3. num. 6. Distinguendum inter vocis significatum nativum, qui utique latius patere potest, l. 2. §. 16. junct. §. 23. de O. Iur. ubi termini, ius dicere, animadversionem in causis criminalibus designant, quæ sanè ad merum imperium pertinet, l. 3. hoc tit. unde etiam appareat dubitandi ratio, in illa, quam Wesenb. obijcit, l. 1. de off. eius, ad quam ut & ad alias obiectiones, aliter respondet Bernb. Sutholt, disp. de iurisd. th. 119. & inter significatum dativum: ubi vox jurisdictionis ad notionem, seu ius & potestatem cognoscendi, jure magistratus competentem, in causis civilibus, plerunque restringitur. Suth. d. l. th. 103. 106. & seq. Bachov. disp Treutl. 3. thes. 1. lit. a. idque agnoscere ipsum Wesemb. apparet, ex fin. n. 3.

Q. 2. An jurisdictionio contineat etiam exequendi potestatem? Ita statuit Bödlich. 1. concl. 1. n. 6. atque ob hoc membrum omissum non solum Bartholi, sed & Cuiacij. atque Wesembecij definitiōnem, b. n. 3. vellicat, & Treutlerianam 1. d. 3. th. 1. suppresso tamen nomine, substituit: E diverso omnem executionem esse mixti imperij, generaliter definit Scipio Gentilis, 1. de iurisd. 15. & in terminis iudicati exequendi, Bender. de Revis. concl. 4. n. 145. Nos hoc ita declaramus: Jure Romano potestas Magistratui concessa erat in causis vel civilibus, vel criminalibus. Rationem & originem v. eleg. deduct. apud Sutholt. d. l. th. 92. & seq. In causis civilibus duplex erat potestas, cognoscendi scilicet, quæ jurisdictionio, & coercendi, quæ

C 2

mixtum

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 1.

mixtum Imperium dicebatur. Hæc duo licet ratione objecti & subjecti, perpetuò essent conjuncta, ut adeò circa quæ Imperium mixtum, circa eadem & jurisdictionio versaretur: tamen si ratione formæ considerentur, revera sunt separata, & jurisdictionio propriè, in cognitione spectatur: mixtum Imperium in execuzione; atq; hoc posteriore modo sumptō definito, definitio proposita, angustior neutquam est dicenda.

2.3.

Q. 3. Judicis dandi licentia, an sit mixti Imperii, an Jurisdictionis? Ad hanc illam referunt Treut. & fere etiā Bachov. 1. disp. 3. th. 4. lit. a. Bernh. Suth. diff. de iurisd. th. 306. ubi nullo modo ad mixtum Imperium referri posse contendit. At mixti Imperii esse statuant Wesemb. b. num. 3. ibi quæ est mixti ceteroquin Imperij: Bronch. cent. I. aff. 18. Bellon. l. 3. supput. Iur. cap. 4. Distinguendum: An Imperium mixtum consideretur absolutè, & separatim, anverò relatè, & ut adjunctum inseparabile jurisdictionis. Hillig. 17. D.E. 6. lit. H. Priori consideratione proposita, dicimus, potestatem illam I.D. ad mixtum Imperium pertinere, per se & ratione formæ, quæ consistit in jubendi potestate, judex esto. Cic. Verr. 4. c. 31. & ius sūs exequendi necessitate, l. 13. §. 2. de vac. & excus. mun. Sed tamen posteriori modo, uti comm. solet, acceptam referri etiam ad Jurisdictionem, per consequentiam, quia mixtum Imperium Jurisdictioni inseparabiliter adjunctum est, uti d. Hillig. 17. D.E. 6. lit. H. Unde Jurisdictionio ipsa Germanis der Gerichtszwang vocatur in vers. pract. civil. Damhoud. c. 4. ut adeò qui Jurisdictionem sive ex L. aliqua, sive more habet, propter vim imperii, cum jurisdictione sibi concessi. l. 12. §. 1. de Iurisd. Wesenb. b. num. 9. non tantum cognoscendi per seipsum, sed etiam judicis dandi, per quem factum cognoscat, jus & facultatem habeat, l. 3. in fin. b. t. & hæc quoque autoris nostri videtur esse sententia. conf. C.I. A. b. th. 34.

2.3.

Q. 4. An Jurisdictionio sit jus transmissibile? Affirm. Wesemb. cum alleg. b. n. 3. Quod de Jurisdictione ex moribus hodiernis definita accipiendum est, qua Jurisdictionem die Gerichte vnd Bormässigkeit castro cohærere & ad hæredes transire statuant. v. inf. q. 10. Gail. 2. obs. 2. n. 16.

Q. 5. An

Q. 5. An merum Imperium solam animadver-^{n.6.}
di, an verò cognoscendi etiam de crimine potestatem
contineat? Prius afferit cum alleg. Hunnius *de Iuris d. part. 1. c. 1.*
qu. 3. & velle videtur author noster hic. Posterius mavult Bocerus
cum suis antesignanis, *tr. de Iuris d. c. 5. num. 15.* Enim verò licet ali-
quando idem magistratus, qui cognitionē de criminibus; et ^{iam} merum Imperium, seu supplicii sumendi habuerit potestatem, ut
præfecti urbis & præsidies, *l. 1. §. ult. de pœn.* s̄epe tamen exdem
etiam fuerunt separatae: sic enim prætor cognitionem quidem
habuit de criminis suspecti tutoris, *§. 1. de susp. tutor.* Executionem
autem pœnæ alii magistrati, merum Imperium habenti, veluti
præfecto urb's, reliquit *§. 10. & seq. d. tit. simile exemplum in l. 4. C. lo-*
cationi. v. C. I. A. de P. I. th. 5.

Q. 6. An rectè Bartolus Imperii meri sex gradus, ma-^{n.6.}
gnūm, maius, maximum, & parvum, minus, minimum,
constituat? Pessimè id fieri à Bartolo pronunciat. B. Suth. *diff. de*
Iuris d. th. 396. At non in pte Bartolum aliosque interpretes has
partes sive gradus meri imperii constituisse scribit Scipio Gentil.
3. de Iuris d. cap. 6. Putamus utique distingui merum Imperium in
gradus posse, quia & veteres pœnarum gradus designarunt *l. 8. de*
pœn. in quibus merum Imperium ferè omne consumitur, *l. 3. h.*
At in pauciores magis appositè juxta *d. l. 28. §. 1. Tr. 1. d. 3. th. 5. Math.*
Steph. 2. de Iuris d. c. 7. Boc. cl. 5. d. 10. th. 41.

Q. 7. An datio Bonorum possessionis, sit Juridictio-^{n.7.}
nis an Imperii mixti? Huic eam adscribit, *Wesenb. h. num. 7.*
Treutl. 1. d. 3. th. 4. lit. B. illi Bach. *add. loc.* & eiusdem discipulus, ac ferè
sectarius B. Suth. *de Iuris d. th. 290.* quia prætor dans bonor. possessionem,
reddat ius sine coercitione. disting. eod quo in q. 3. factū est, modo: ut
per se quidē considerata, Jurisdictionis sit, quippe cum in cogni-
tione potissimum versetur, utrū huic, vel illi, sit danda bonorum
possessio: concretivè autem & in conseq. considerata rectè etiam,
propter indissolubilem illum nexum, Imperio mixto tribuatur.

Q. 8. An tolerari possit dist. Dd. officij judicis in ^{n.8.}
Nobile & Mercenarium? Negat. A. Matth. Vir Claris, Præ-

C 3 cept.

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 1.

cept. meus sum in eō lenius Fundament. Iur. disp. 7. th. ult. Elenchum
comparatorum huic divisioni imputans: quia iudex mercere non condu-
cit: itaque mercenarium non esse officium sed publicum. & nobile omne
Boc. tract. de iurisd. c. 3. n. 4. Aff. Old. pr. class. Schneid. ad §. 1. I. de Action.
n. 10. Distinguit recte B. Suth. de iurisd. th. 287. Usum sc. divisionis
huius alibi posse admitti, quatenus officium judicis, vel deservit
actioni intentatæ, vel per se stat & exercetur, ubi nulla competit
ordinaria actio, ut in petenda bonorum possessione: Non autem
hoc loco, quia iurisdictio non tantum mercenario, sed & nobili
judicis officio expediatur, ut in extraordinariis cognitionibus.

Q. 9. An recte dicatur Jurisdictionem dari vel per
Legem, vel per populum, vel per consuetudinem? Ita
tradit è Bartol. & gloss. in l. 5. h. t. (ita enim legendum) Wesenb. h. nu. 9.
non autem bene se habet ista membrorum oppositio, sed corri-
genda est ex l. 12. §. 1. de iud. v. C. I. A. h. th. 14. conf. l. 52. de O. & A. &
Bachov. in comment. I. ad §. 2. de Oblig. in fin.

Q. 10. An iurisdictio in dubio magis cohærere ter-
ritorio, quam personæ intelligatur? Affirm. Wesenb. h. n. 10.
Gail. 2. obs. 2. n. 16. Menoch. 3. de præsumpt. num. ult. Negat Hackel.
disp. Pand. 4. th. 41. Hart. Pift. l. 3. q. 42. n. 44. Boc. c. 8. de iurisd. num. 15.
Disting. an loquamus de jurisdictione, jure magistratus & officii,
ut apud veteres, competente; de qua verum est eam personis co-
hærere: an de ea, quæ personæ, cum territorio in consequen-
tiā, ut hodie fieri solet, conceditur; & hæc omnino territorio
potius quam personæ cohæret, quin & isto extincto ad successo-
res transit. Reink. l. 1. de R. I. & E. class. s. c. 1. n. 8.

Q. 11. An Jure Canonico Imperium merum possit
mandari? A. cum comm. Wesenb. h. Treutl. 1. d. 3. th. 6. lit. G.. Bocer.
de iurisd. cap. 9. num. 99. Phil. Matth. in l. 70. nu. 8. de R. I. Neg. Bernh.
Suth. de Iurisd. th. 406. Bachov. ad Treutl. d. l. Obrecht. de iurisd. c. 5.
Fachin. 9. cont. 99. Disting. an merum Imperium alicui speciali
lege, seu principis Cost. an vero generali territorii concessione sit
tributum: Quibus hoc posteriore modo merum Imperium, per-
petuo & hereditario jure competit, ut Principibus, Comitibus,
Baronibus, illi utique id mandare possunt, perinde ut Patri &
Rex

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 1.

70.

Rex ipse c. 46. caus. 2. q. 7. fac. const. Carol. art. 2. ibi. welche Personen ihrer Güter wegen die peinliche Gericht zu besitzen schuldig seyn. Quibus autem primo modo competit, iis nec Pontificio Jure c. si pro debilitate de off. deleg. clem. 1. de heretis. nec moribus, licet illud delegare, teste Zasio in l. 3. de jurisd. Scip. Gent. 3. de jurisd. 29. ubi nominatim autorem hic perstringit.

Q. 12. An jurisdiction probetur, perceptione Collectarum? Aff. aut. hic add. Mascard. concl. 946. n. 1. & seq. Menoch. de retinend. possess. remed. 3. n. 503. Hier. de Monte. c. 53. Reg. Neg. Boc. c. 10. n. 11. *Quia nihil commune habeat cum jurisdictione; sed ad regalia pertinet*. Et fatendum est utique, Dd. plerosque insigniter abuti voce jurisdictionis, quando illam sumunt pro omni jure territoriali vid. Card. Tusc. lit. I. Concl. 545. n. 6. ibi collectarum impositio arguit subjectionem & jurisdictionem passivam. peius sentire, quando ad jurisdictionem patrimonialem, jus collectandi referunt, allegat. & refutat. à Bachov. 2. d. 18. th. 9. lit. a. Utique si propriè sumatur utrumque vocabulum separata sunt, & nihil invicem efficiaciter probant cum & à forensibus. h. e. non subditis, collectæ quandoque possint exigi v. Gail. O. 52. n. 13. C. I. A. de censibus. th. 27. & jurisdictionem Civilem unus; alter vero jus collectandi habere possit. c. recepimus. 8. de privil. cuius Analyse vide ap. doctissimum Limnaum. 4 de jure publ. 8. n. 61. c. si tributum. 11. q. 1. Heig. p. 1. q. 18. Casp. Ziegler. in § Landssäßij. concl. 1. nu. 157. C. Leopold. de concurr. jurisd. q. 12.

Q. 13. Huc etiam referri potest quæstio, An insignia Principum in curiis aliisve locis, Wappen an den Thoren/ Kirchen / Rathshäusern/ &c. depicta, probent jurisdictionem? Affirm. inter alios Wehner in obs. pract. voce Helm vnd Schildt. citans imprimis Wesen in parat. C. ut nemo privatus titulos prædiis suis. Sed ille magis cautè loquitur & esse signum subjectionis, cum Bart. tract. de insig. & arm. n. 2. ac superioritatē probare tradit. eodē modo loquitur in conf. 21. n. 68. nemo enim potest in re aliena ponere insignia sua: ut cum Johanne de Anania loquitur Card. Tusc. lit. A. concl. 516. nu. 6. Et communiter probatur ejus esse rem cuius sunt arma & insignia rei imposita. idem numero 11. & ex ar- mis.

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 1.

mis & insignibus cognoscitur quis sit rei Dominus n. 12. (Quan-
quam ib. allegati Ananias & Bartolus, non hæc Axiomata expri-
mant; sed de eo loquantur, qui in Ecclesiâ & capella quam ædi-
ficârit, sua insignia pingi curavit, quod sc. ea à Clericis eradi non
possint: ut solenne fere est Card. Tusc. decipere lectores falsis al-
legationibus.) *Dissentientes refutat Got. ad l. 6. lit. m. C. de relig. similia*
tradit Menoch. 2. præf. 59. n. 1. Ubi dicit, quando scriptura sit antiqua
& posita in loco publico, tunc eam & in his quæ magni sunt præ-
judicii, plenam perfectamq; fidem facere. Reliquæ v. distinctiones
fere sunt ineptæ, & solidius res definiri potest ex tit. ff. de oper. pub. l.
2. pr. & §. ult. l. 3. §. 2. l. 4. ut & l. 7. §. 1. Quibus locis distinguitur: an
opus publicum fecerit persona privata, an vero publica: privatus, si
ex liberalitate opus publicum fecerit, suo sumptu: memoriæ causa,
exhibitæ sc. erga Remp. munificentæ l. 4. de adm. rer. ad civit. & ut
alii deinceps ea honoris specie, ad similē liberalitatē invitentur. d.
§ ult. l. 2. nomē suum inscribere potest. Neq; inde dominii alicujus
aut superioritatis præscriptio est metuenda, nam præterquā quod
privati conditio repugnat; Etiam ipsa ædificatio fit principis. l. 6.
aut populi placito l. ult. & cum cōmemoratione causæ, d. l. ult. in fin.
Quod ad personas a. publicas, ministri Reip. nomen suū ejusmo-
di operi inscribere non possunt, ne præses quidem l. 4. b. imò in
crimen Majestatis incurrit qui id ausit l. 10. C. h. t. sed solus Princeps
eam sibi prærogativā vendicat. l. 3. §. ult. de Oper. Publicis. l. si quando.
16. C. eod. Equibus apparent. Dd. iterum in hoc enunciato voce Ju-
risdictionis valde abuti, & ius territorii ac superioritatis, in hac
quæstione fere designare. Knicken. Encyclop. c. 14.

n. 13. Q. 14. Cui applicetur poena ista 500. (ut Florenti-
na, seu ut aliae lectiones habent 50. v. novissimè P. Theodorici
colleg. Crim. disput. 3. th. 1. H.) aureorum ex actione albi
corrupti? Nonnulli eam fisco adplicant Hillig. 19. com. 1. non-
nulli actori, quos tuetur Bach. 1. disp. Tr. 4. th. 9. B. Autor medium
amplectitur, ut scil. inter actorem & fiscum dividatur. Nos tamen
Actori soli eam tribuimus, cum Bach. Is enim per litis contesta-
tionem, fieri potest creditor, l. 12. de V.S. & actionis formulam suo
commodo concipere v. C. I. A. h. th. 56. conf. l. 6. de litig.

Q. 15.

Dissutatio 11. ad lib. 2. tit. 1.

71.

Q. 15. An jurisdiction ordinaria finiatur morte
mandantis? N. Wes. cum alleg. h. Tr. 1. disp. 3. th. 12. a. Aff. Jac. A.
Thuan. cum ICtis Hispanis lib. 69. hist. an. 79. ubi judices ab Henrico Lusitaniae Rege, ad decidendam successionis causam, cum plenâ potestate ordinati, post obitum ejus repudiati sunt, quodlur jurisdictione morte mandantis exspirasset. Disting. inter jurisdictionem propriam seu jure hereditario competentem; Et eam quæ magistratus jure concessa est: illa morte mandantis non finitur supr. q. 4. conf. Bach. ad Tr. d. loc. Imò nec Mandatarii ipsius, ut ita loquar, sive ejus qui jurisdictione acceptaritè functus est: cōtinuatur enim in personis heredum. Hæc vel est primaria & morte mandatis principis nō interit: vel à prima virtute, & mandata in specie dicitur, & regulariter utriusque morte finitur. l. 6. h. t. conf. l. 19. pr. Mandat. Cæterum pro sententia sua autor nō satis apte allegat, c. 2. de off. legat. in 6. (ita enim legend. est) Legatus enim ibi intelligitur non ad certam aliquam jurisdictionis speciem sustinendam missus: sed ad totam provinciam modrandam, cuiusmodi non tantum à Pontifice, sed autoritate totius Ecclesiæ Romanæ deputantur. c. 1. d. t. quæ nunquam moritur. Planè, ut olim morte Proconsulis legatus ejus, non amittebat jurisdictionem. ad cuius Exemplum d. cap. digitum intendit, post Cujac. Boc. cl. s. disp. 10. in f. Ita nec iste: conf. Paurmeist. i. eod. n. circa f. de jurisd. c. ult.

Q. 16. Circa prorogatam jurisdictionem duo quæ cod. n.
runtur. 1. An prorogata jurisdiction, poenitentiâ finiatur, in f.
seu an post jurisdictionem prorogatam poenitere liceat?
Aff. Aut. cum Dd. comm. ad l. 18. h. t. Neg. alii per l. pen. C. de pact. Variè hos textus conciliant, Fach. 1. controv. 61. Gœd. ad l. 3. nu. 45. de V. S. Pacius: distinguens inter pactum nudum l. 18. h. t. & contractui adjetum l. pen. C. de pact. At qui obstant generalia, d. l. 18. verba quæ & pacto contractui adjecto, & stipulationi cōvenire videntur, In qua sententia etiā est autor. ibi ex stip. Vult. cum alleg. ad l. 1. n. 145. C. de jurisd. Vmmius disp. de process. 4. n. ult. Itaq; alii dicunt l. pen. de alia specie loqui, nimurum cum quis in instrumento conscribendo confessus fuerit, se fori præscriptione non usurum; ut tum forum judicis competenter declinare, seu poenitere amplius non possit. Cl. Dinnerus disp. Alterf. de prorog. jurisd. th. 11. sententia nostra subjecta est in quest. seq.

D

Q. 17.

Disputatio II. ad lib. 2. tit 1.

Q.17. II. Deinde quæritur, quando post prorogationem, seu quoisque, pœnitere liceat iis, qui judicem incompetentem elegerunt? Autor noster *cum com. pœnitentiam concedit, antequam judex a deatur, ita ut quanquam contrahens ex stipulatu adversario ad interesse teneatur, eoq; operetur secundum quid stipulatio: tamen prorogationem non producat: Quorum prius Bach. I. *disp. Tr. 3. th. 12. lit. H.* ideo reprobatur quia ante aditionem judicis, nulla prorogatio nascatur; cum is consentire debet: Posterius repudiat *Vnnius d. disp. 4. nu. ult.* & imò liberam, & impunem omnino esse etiamnum, hoc casu pœnitendi facultatem tradit. Ut autem hæc rectius definiantur, sciendum est, jurisdictionem prorogare nihil aliud esse, quam eam jurisdictionem quæ ad certas personas vel causas alicui concessa est, ad alias extendere, seu in eum judicem, cui alias quis subjectus non erat, consentire, & forum apud eum sortiri. Hæc ap. Dd. praticos. quadrupliciter repetitur: de persona in personam, de causa ad causam, de tempore ad tempus, de loco ad locum. E quibus tamen JCynostri, prorogationis nomine eam potissimum denotant, quæ est de tempore ad tempus *L. 2. §. 2. de jud. Dinner. d. l. th. 4. id*, quod circa vocis ambiguitatem probè notandum est. In genere autem sumpta dividitur in tacitam & expressam. Expressa est, quæ fit conventione expressa. Conventio illa vel nuda est, vel vestita. Conventio nuda sit, vel de judge, cui paciscens subjectus non est, vel subjectus quidem est, sed eum tamen privilegio aliquo recusare potest. Priori casu, cum nuda conventio actionem nullam pariat, per se efficax non est, ad fundandam jurisdictionem, in personam alias subjectam, & consequenter quantisper in nudis conventionis terminis subsistimus, liberè pœnitere licet *l. 13. b. t.* Posteriori casu, si is qui & communem & speciale ex privilegio judicem habet, pactus sit, se ad istum speciale suum non revocaturum, postmodum autem coram communi conventus animum mutare velit, efficaciter id tentare & de privilegio suo cum effectu, excipere non potest: siquidem ex conventione exceptio aut replicatio adversario dabitur, qua rei prætensio facile elidetur & ita intelligi potest *l. pen. C. de pact. cum Accurs. & Dd. com. ad h. l. 18. Vult. ad l. 1. n. 149. C. de jurisd. & seq.**

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 2.

72

& seq. Bach. d. l. p. 135. ubi vi. ration. Conventio vestita est, vel per ad-
sistentiam L. ut in stipulatione, vel per subsequutā judicis aditio-
nem. Quod ad stipulationē, licet illa actionē producat, tamen nisi
in id quod intereat (eo loco quo conventū est potius, quam quo deinde
reus lītē agi vult, inservi vel finiri) Jurisdictionē non prorogat. Vult.
d. l. n. 148. Aditio judicis hoc loco explicatur per libelli oblatio-
nem, ut satisfactionem: Et hæc demum aditio ita firmat proroga-
tionē factam, ut amplius pœnitere haut quam liceat, arg. l. 18.
b. t. Ratio est, quia alibi editionem tantu int. litigantes res fuit:
Per aditionem autem judicis quoque intercessit cœpit, cuius auto-
ritas per pœnitentiam partium, cludi non debet. Quia. Hæc de
prorogatione expressa. Tacitè fit vel facto hominis vel autoritate
legis. Factum hominis hoc loco intelligimus judiciale, præce-
dens lītis contestationem: Si enim reus in ius vocatus omisla ex-
ceptione fori declinatoriā, quæ vulgo incompetentiæ dicitur,
dilatoriam forte aliquam opponat, tunc eo ipso facto innuere
videtur, se in iudicem consentire velle, quod Dinnerus d. l. th. 14.
quondam fori notandum esse monet: Neque tamen prorogatio hæc
ante lītis contestationem pœnitentiam excludit, sed demum post
item desuper contestata n. l. 4. C. b. t. Ratio est, quia tacitus iste
consensus & níparatur superiori expresso: Ut itaque ille nudus
effectum illum non habet, nisi factum aliquod actedat, hoc est,
aditio judicis: ita nec hoc c. s. u. sola declinatoriæ omissione effe-
ctum excludit pœnitentiam obtinet: Sed lītis demum con-
testatio accedens hoc præstat. d. l. 4. C. b. tit. Hillig. 17. Don. Encl.
cap. 10. lit. g. Autoritate legis inducitur prorogatio per reconven-
tionem. Nov. 96. c. 2. in qua itidem pœnitentia excluditur, l. 14. in f. C.
de sent. & interl. Cl. Dn. D. G. Franzkins in parat. MS. ad b. t.

Tit. II.

Q. 18 An Edictum, quod quisque iuris &c. locum ^{n. 2.}
habeat, exstante in rescripto clausula, motu proprio?
Neg. Ant. Gabriel 6. comm. tit. de clauscul. 2. num. 66. pte l. 3. b. tit.
Affirm. vid. Autor ^{n. 2.} med. h. quod iniqua peritio delictum con-
summatum huius edicti constitut. Distinguendum: An clausula

D 2

ista

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 2.

ista sumatur secundum esse & propriè, scilicet cum Princeps sponte & nemine petente aliquid alicui peculiariter concedit: Ut tum Edictum locum non habeat: secus autem si dicitur causa & pro forma, ex usu & stylo, uti solet, Cancellariæ fuerit clausula hæc adjecta: uti bene Paris i. Conf. 1. n. 76. Bellam. conf. 33. nu. 22. Rot. Rom. decis. 656. n. 4. conf. l. 44. de pact. l. ratas 7. C. de res. vend.

2.3.

Q. 19. An retorsio Saxonica & aliarum provinciarum, qua stante statuto unius civitatis, ut hereditas non deferatur sine detractione fisco inferenda, usurpari possit contra eosdem cives, ab alio oppido statutum eiusmodi non habente? Affirm. tenet Autor in fin. b. 1. Berlich: 3. conclus. 51. num. 3. Negat Virg. Pingizer. quæst. 33. Distinguendum, an detractione illa injuncta sit per statutum tantum extraneis, an vero etiam civibus. Hoc casu ubi statutum indefinitè vel universaliter extraneos ligat & cives; Non possunt id ægrè ferre civitates aliae, quæ tali statuto non gaudent: (non enim debet videri forensibus jus iniquum, quod & civibus æquum est:) adeoq; nec retorquere, ut cuncti vulgo contrariū & hoc casu servetur. Illo casu retorsio æqua, & huic edicto consentanea videtur. Conf. H. P. ist. obs. c. 43.

Quæst. 20. An hoc Edictum etiam obtineat in criminationibus & injuriis, ita ut liceat injurias retorquendo repellere? Negat Rennem. in comm. de iur. retors. part. 2. thes. 1. & part. 3. th. 35. Affir. Autor hic in vers. sed præcipue: quanquam textus Exod. c. 27. num. 24. de iniuria reali loquatur, unde Dn. D. Vngepaur Exerc. Iustin. 13. qu. 10. distinguit inter iniuriam realem & verbalem. Dicimus, interesse inter recriminationem & retorsionem propriæ dictam; ut hæc non illa Edicto & æquitati congruere censeatur. c. veniens. ibi; alternativæ convicia inferendo. x. de jurejur. Bocer. cl. 4. d. 3. thes. 31. C. I. A. de iniuriis. th. 19. n. 3. & seqq.

Q. 21. Illud etiam, circa materiam jurisdictionis & fori competentis, controversum est: An illi, qui moribus Germaniæ Austregarū judiciis gaudent, in causis criminalibus coram Austregis vel in Camera, saltē in prima instantia conveniri possint? Aff. P. Frid. Mindan. l. 1. de proc. c. 9. E diverso

Rutg.

Disputatio II. ad lib. 2. tit. 2.

Rutg. Rul. part. 1. de commiss. l. 2. c. 3. Pernegat causas criminales vel ad Austregarum, vel ad Cameræ forum & tribunal in prima instantia, pertinere: sed solum Imperatorem de istorum hominum delictis posse cognoscere quem acriter defendit, Fridero refutato Magnif. Dn. Otto Meland. part. 1. com. Cameral. § 4. l. f. p. 6. & seq. Ut ut autem Frideri sententiam affirmativam quoad judicium Austregarum tueatur Dn. Vmmius disp. 4. de proc. num. 51. & 9.

Nobis tamen: & in hoc & in Cameræ judicio etiamnum h̄eret dubiū ex l. 1. de off. ej. cui est mand. iurisd. & l. 3. c. ubi senatores vel clariss. civ. vel crimin. neque con entaneum videtur, ut statui in statum eiusmodi potestas per interpretationem extensivam concedatur. Vid. Meichsner. tom. 4. dec. 4. Donawerth'sche Erinnerung p. 177. Paurm. 2. de jurisd. cap. 4. nu. 24. conf. R. Abschied zu Regensburg de anno 92. §. Wenn aber. Utcunque nos minimè fugiat, non nullos iterum inter statūs primi ordinis: & inter eos, qui in secundo aut tertio ordine sunt, distinguere: itemque an in proprio vel alieno territorio quis delinquat. Casp. Leopold. de concurrent. iurisd. quest. 7. Malumus tamen indistincte definition. m d. l. 3. in dubio sequi. vid. C. j. A. de accusationib. th. 10. 12. & 13.

C O R O L A R I A.

I.

B Odini errorem circa Sereniss. Daniæ Regis independentiam & jura Majestatis suprema, superioribus annis in illustri Gröningenium Athenæo, jure meritò perstrinx: Ac pigeret utique crambem bis ponere: Nisi occurrentes quotidie in superiore etiam Germaniâ Politicos, easdem nebulas, nescio è quibus Monachorum angulis eductas, ignaris lectoribus offendere compesissem. Itaq; licet mihi puto, Patriæ & veritatis historicæ studio, horum quoque argumentis nunc veluti propter viam satisfacere; Ea apud Doctissim. Dn. Limnæum in lib. 1. cap. 9. de Iure publ. Nec non apud Reinking. l. 1. class. II. num. 24. Dan. Ott. (qui tamen Daniam etiamnum hodie regnum liberum esse facile concedunt, loc. alleg. vid. & Gail. l. 6. num. 16. de arrest. Imp. Reichs Abscheid. zu Speyer de an. 1542. §. Die weil. Kirckhof.

D 3 tom. 4.

Corollarium I.

tom. 4. var. cons. Ger. cons. 17. n. 12.) extant. Præcipua autem hæc sunt:
1. Imperio Daniam sibi sediam ab Ottone fuisse affirmant: At apud
omnes rerum Danicarum peritos constat, atq; in confessio est, uni-
cam tantum Daniæ provinciam Cimbriam Haraldo Rege ab-
sente & in bello Suecico impedito Ottонem occupasse, undarum
scilicet interstitio divinitus à progressibus ulterioribus seclusum
atque prohibitum. Quomodo ergo Daniam totam, cuius par-
tem tantum tenuit, & Noruegiam, quam nunquam ingredi ten-
tavit, tributarias Imperio fecerit? Neque verò ut in Danos bel-
lum moveret Imperatori illi vel prætextus sicut in regni iura
fuit: sed sola & unica causa cædes & deletio Marchionis Slevi-
ensis & Saxonice coloniz, quam nuper Anno 938 Henricus
Auceps ad impediendas continuas Danorum in Saxoniam ex-
cursiones constituerat. Nec Imperatorii juris Cimbria diu man-
sit. Nam reuersuè Suecia Halardus, deletâ Imperiorii exerci-
tus parte, resellit Sax. Gramm. provinciam regno vi ablatam, vi resti-
tuit. Denique in locum Ottonis I. subrogato Ottone II. Haral-
dus in injuryi mulcisci volens, totam Saxoniam vallavit, tandemque
cum novo Imperatore aquis conditionib. more regio transagit.
Quæ omnia toto cœlo à subjectionis cultu & demissione distant.
Quadere videatur, unus instar omniū Cl. Pont. in vita Harald. Reg.

Alterum subjugationis Daniæ argumentum à diadematæ
regio, Regi Danorū a Friderico I. concessio, petitus, resellit fisci-
tum Petri monen, quod nō scio cui tandem homini regio titulo
imponitur. Cum tamen inter Setentiss. Dñi. x Reges 104. numero,
ne nullis quide nō hoc nomine appellatus inventatur. Ulteriore
Chronologiam perpurgata, gaudiaria antiquitas Regnū quippe
ante multū scula fuisse, ex continuitate & non interrupta Regum
rei demonstrari potest. Imò primum Regem, Gentilique & no-
nullis auctore, Chisto Dñi N. trecentis annis priorem fuisse
nobis nulli hand obscuris fundamentis faciunt testatum. vid. Sax.
Cl. Pont. in Chorog. Daniæ descr. ubi & satis argutè id resellit.

Instant III. ad comitia Imperii vocatum Valdematum Re-
gem, cum Absolūte Archiepiscopo compatuisse. At quā virtute
consequentia argumentum subjectionis, maximē si rei gestæ
historia iterum penitus introspectiatur, hinc extulit? Ita autem
res

74

Corollarium II.

res habet. Otto inter Alexandrū & Octavianum, qui ambo sedem Pontificalem ambibant schismate, divisa autem & Europa fuit, illum Gallis, hunc Germanis succolentibus. Fridericus Barbarossa ut malo obviamaret, & ut eō melius ambitionē hā Pontificum dissensiones componi possent inter alios, Gallie p̄ta & Hungariæ Reges. Helmo. l. i. Chro. Slavon. c. 91. Regem Valdemarū summi tum dominis principem amicè invitat. Cl. Pont. in vita Valdem. rogans yellet conventui Mediomatrici iudicio interesse, ratus horum & auctoritatem & sententias plurimū allaturas momenti ad sedanda hāc schismata, Valdemato ultra in præmium molestiarū unam ex Italie provinciis, cum Vandaliæ totius præfectura offerens. Tūm verò officio regio nihil magis convenire credens Valdemarus, comparuit: rogatus nō citatus, religione non officio adductus: non ut vasallus, sed more regio, tanto Principum & parastatarum comitatu, ut numero hominum affluxu ubique perterfacti incolæ locorum, per quæ transiret, diffugerent. Enim verò cūm Anno 1166. quadriennium post, Dani iterum ad comitia vocarentur, iurium suorum memores, siste: e se noluerunt, fatente ipso Doctiss. Dn. Limn. loco cit.

Quinimò cūm Anno 1184. Imperator Fridericus Reges Danie Imperio innectere conaretur, tale ab Absolone Antistite responsum libertate Danica dignum tulit: Cæsari Canutoque Regi æquum regnandi jus esse, nec minore libertate hunc Danici regni, quād illum Imperii Romani gubernacula tenere. Eo enim haec tenus fuere ingenio Dani, fatente Goldasto cum Scepperō nostro tom. 3. const. in epist. dedicat. ut liberi fuerint amici, coacti autem protinus de vindiciis secundum libertatem circumspexerint, & in amicitia leoninâ acquiescere, hautquam potuerint, in cuius sententia subsistere & brevitatis, ex instituto præsentis Collegij Studiosus, plura pro assarcendâ antiquâ Regni Danie libertate hac vice adferre supercede.

II.

Eadem vanitate, sed majori impudentiâ Iaceffivit, sacra-tissimos Friderici II. manes, Autor, vel potius compilator, libri cui titulus *Les Estats Empires & principaultez du monde*, &c. he-luatio-

Corollarium III.

Iuationes tam familiares moderatissimo Principi faciens, ut fe-
ralibus etiam epulis efferri ipsum contigerit. Tametsi verò non
ita male cum humano genere agatur, ut metueret tanti Principes
debeant, ne aliquid gloriose ipsorum memoriarum & Majestati per
huiusmodi Orbilionum affanias & effectas somnias decedat: quic-
quid tandem vel sacrilega mens, vel fascinatus odio religionis
impetus istis dictitet. Monere tamen in autos lectores volui,
ut fidem potius habeant gravissimo populati iustius lavernionis
& verè Augusto Historico Thuano, qui de moribus & excellu-
optimi Principis breve sed verissimum hoc elogium lib. 89. Hist. p.
m. 264. reliquit. Ibi: Anno 1588. prid. Non. Apr. Andersoæ in Se-
landia Fridericus II. Daniæ Rex, Princeps magni animi ac sinceri
judicii decepsit, &c. cui addi potest superpondii loco, quod Guic-
ciardinus homo Italus, ac religionis puræ non minus quam hic
infestus; sed virtutis æstimator melior & æquior in libro inscri-
pto *Detti & facti gravi, &c.* Regem hunc p. mem. nominat Principe
molto humano, savio, e di gran valore, & di gran governo. Ac de pro-
pria sua scientia illud adiicit: *Si fa prudentemente non solo riverire
ma anco amare sommamente da' suoi popoli e da ognuno.*

III.

Ac cùm in Sereniss. Daniæ Reges injurius esse non dubitat, verit
impostor: non mirū, si & nationi sit iniquior ve- bis & eqq. Soubz tuy
les Danois sont devenus non seulement plus obstinez en l'erreur de Luther,
mais encores se sont adonnez a l'art magique, plus qu'aux bonnes lettres.
Utrumq; contra rationem experientiamq; ac planè sine fronte.
Abrogatā n. superstitione Magiæ matre ac productrice Evangelii
lux tenebras hasce & Satanae nebulas ferre nō potuit. Quod si illa
concludendi ratio necessaria est, quid fiet de ipsius autoris illius
sacris que in cantionibus & vetitis artib. infamia esse ne ipse quidē
negaverit, si vel monumēta memoriae (quid n. superioris ætatis exem-
pla accersamus) Catharinae matris, vel historiarum tragicarum Sylo-
gen, vel universum Thuani systema, atque infinita alia popularium
suo testimonia non diffitebitur. Bonæ autē litteræ postillatam
à Beato Luthero verae religionis lucem ea sumperferunt incremen-
ta, ut virorum arte & marte illustrium catalogus nulli retidætati
inferior sit. *Vid. Clar. Pont. in citat. Chorogr. Dan. descript.*

SELE-

Danica Nobilitatis ornamento
singulari,

DN. OTTONI KRAGK,
LITERARUM ET EQUESTRIUM
VIRTUTUM CULTORI MAXIME
claro & industrio, Fautori meo &
Amico venerando;

DE JURISDICTIONE

In Academia Argentinensi publicè & feliciter
disputanti.

ET mea Nobilitas animum quibus artibus olim,
Et quibus ornavit fructibus ingenium.
Et quas virtutes pulchris exercuit ausis,
Unde suum cœli ferret ad astra caput.
Quas tamen hoc major fœde pars respuit ævo,
Et celsa indignas nobilitate crepat.
Has tua prosequitur mens & veneratur & ardet,
OTT O vetus veræ nobilitatis honos!
Quando soles doctis vigil impallescere chartis,
Ingenuasq; Deas juraq; sancta sequi;
Publica nunc etiam concendere rostra cathedras,
Et specimen cultus edere grande tui.
O bene! sic virus, sic illa inamabile cœnum,
Et generis maculas exitiumq; babit.
Tu vero nectar bibis atque beata Deorum
Pocula, tu vita non pereuntis opes.

E

Fortu-

Fortunet sumptos summus tibi Jupiter haustus,
Et velit hoc possis ebrius esse mero!

Fausta acclamationis ergo scripsi.

M. Samuel Glonerus P. Laur. &
Poët. in Gymn. Prae.

OTHO CRAGIUS.

avayg.

RVS HOC AGITO.

C R A G I , Palladiæ decus immortale Coronæ;
Patri amor; Matri gloria; Gentis honos.

Quam vellem, Themidos ceu Tu, secreta revolvis;
Ceu solvis doctâ lemata nexa fide;

Sic mihi jus, mihi fas, facili dictante Minervâ
Promtius in laudes ire redire tuas!

Gratior meritum Virtutis & Artis honorem:

Gratior Patriæ spemque fidemque tuæ.

NICOLEOSq; Parcens, & Avunculus HÖGIUS, illud
Nōsset; vir patrio magnus uterq; solo:

NICOLEOS Cimbris venerandus juris & æqui:
Arbiter; & Regi charus; & ille gregi.

HÖGIUS Aonidum fautor, Justiq; patronus;
Dux Charitum; Regni gloria; Regis amor.

Sed mihi, qui quondam patrius; peregrinus Apollo est:
Nec venit ad votum promta Camæna meum.

Res tamen ipsa canit: quam non-invita sequuntur
Verba. Tuum felix nomen in omen abit.

Nomen pono. AGITO RUS HOC, Anagramma reponit.
Rus colis. HOC AGITAS. Ju Themidemq; colis.

Hoc opus; hic labor est. Colia HOC: calerisque vicissim.
Hoc AGIS: hinc oneris stat Tibi fructus Honos.

Itala Te tenuit tellus: Te Gallus amavit:
Ultq; Brito voluit; sic quoque Belga suum.

Nec

Nec satis illud erat: post vota benigna Monarchæ,
Miratur genium Teutonis ora tuum.
Res loquitur, dum res loqueris. Germania laudat
Vtraz MATTHÆUS testis; & ipse TABOR.
CIMBRIA præclaro ter felicissima partu!
NICOLEOS Nati nomine Victor ovet!
HÖGI de digno sint gaudia. Justa Nepote,
Quem Pallas fovit: cuī favet alma Themis!
CRAGI, Nobilium spes haud infida Parentum,
Hoc. Rus, Ius, AGITO: mox Tibi fructus erit.
Fructus Honos oneris. Pergas feliciter opto:
Sintq; tux Genti commoda mille! Vale.

76

Ad Insignia Gentilitia Nobiliss.

Kraghe eidūλiov.

T Res Tibi Cornices campo pinguntur in albo:
Candoris ac Vivacitatis Symbolo,
O vigeat superetq; precor ter-Nobile stemma
Felicitis hoc Vivacitatu omine!

Sic votet; optat
IN HIS COR SINE FRAVDE:
id quod
Genere, Virtute ac Eruditione solidâ
Nobilissimo Dn. Fautori
quævis ad grata paratum
Cum voto πάτερνας εὐτυχίας καὶ εὐπρεψίας
L.M.Q. offerebat, suiq; memoriam
commendabat.

JOHANNES FRIDERICVS fl. Holsatus.

Philosoph. M. & Poëta L.C. Nobil. Beck
hactenus Inspector, Argentinâ abituriens.

E 2

Nobi-

In honorem Nobilissimi unde quaque ornataissimi Domini Otthonis Krag commensalis sui plurimum honorandi.

O Tthones video præsentes; præses at ipse
Nescio quis fuerit, dic mihi præses eris.
Ambo respondent doctum, quis doctior Otto
Nescio quis fuerit, qui sciet, Ottus siet.

Johan. Philipp. Schtagmüller
Mospacæ Palatinus.

Nobilissimo Domino Cragio.

D Elitas Charites Te dicunt, Phœbus amorem:
Te Musæ florem, te pietasq; jubar.
Corclum te virtus, Peitho te dicit honorem:
Et solem Aonius te veneratur apex.
Verum te Sponsum jam jam Themis aurea dicit,
Lemmata & hæc dotem gaudet habere suam.

Johan. Henricus Schill.


F I N I S.

X 2615926

V3.17

FarbKarte #13

B.I.G.



ECTARVM IRIS QVÆ- STIONUM

67.

34

1636, 4.

iorem Paratitorum Wesenbecii in-
tellectum directarum

DISPUTATIO II.

SUB PRÆSIDIO

xcellentissimi, Consultissimi, Clarissimi,
ANNIS OTTONIS TABORIS,
emque in Florentissima inclytæ Reipubl. Ar-
sis Universitate Professoris Publici, Fautoris ac
ceptoris sui æviterno observantia, amoris ac
honoris cultu prosequendi,

R E S P O N D E N T E
NE K R A G H E N O B . D A N O .

In auditorio ICTORUM

Mense Decembri

Die horis antemeridianis

I N S T I T U T A .

R G E N T O R A T I ,

Typis heredum Pauli Ledertz.

A N N O

M. D C. XXXVI.